

## Die Urkunden Karls des Großen, 65

Karolus gratia dei rex Francorum vir inluster. Veniens ad nos Haristellio palatio vir venerabilis Gundelandus abba de monasterio Lauresham, ubi sanctus Nazarius martyr in corpore requiescit, nobis innotuit, eo quod homo aliquis nomine Heimericus de ipso monasterio calumnias generare voluisset, dum diceret, quod suus pater Cancor eum de ipso monasterio vestitum dimisisset. Et ipse Gundelandus presens astabat et causam in omnibus denegabat, dum diceret, quod avia ipsius Heimerici nomine Williswinda vel genitor suus Cancor germano suo domino Ruodgango archiepiscopo tradidisset vel confirmasset, et talem cartam nobis exinde protulit ad relegendum. Tunc ipse Heimericus ante nos taliter fuit professus. quod de hac causa vel de ipso monasterio superius nominato inantea numquam tempore debeat calumniam generare, sed per festucam ante nos exinde dixit exitum. Tunc nos una cum fidelibus nostris, id est Hagino, Rothlando, Wichingo, Frodegario comitibus nec non et vassis nostris Theoderico, Berthaldo, Albwino, Frodberto, Gunthmaro taliter visi fuimus iudicavisse, ut de hac causa omni tempore ipse abbas habeat aevindicatum atque aelitigatum et sit illis in postmodum ex hac re sopita causatio.